

innuendum se, uti fortem athletam, paratum debere esse ad omnia adversa pro fide perferenda. Perpetuo amentes Confirmandi sunt juxta pruden arbitrium Episcopi, nisi gravi culpa inquinati in amentiam inciderint. Infirmi Confirmari debent, tum ad majus robur pro ultima lucta, tum ut in resurrectione perfecti appareant. Patientes lucida intervalla debent suscipere hoc Sacramentum.

9. Inq. 4. An obligatio suscipiendi Confirmationem sit gravis? R. Plures contendunt esse gravem, sed D. Thom. aperte docet oppositum. Explicans enim quedam verba Hugonis Victorini, exprimentia periculosam esse ejus omissionem, addit *art. 8. ad 4. Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Si autem obligatio, illam recipiendi, esset gravis, damnaretur utique propter omissionem ipsam, secluso contemptu: ergo si non ex ejus omissione, sed ex contemptu damnaretur, illam omitens, omissio ejus non est gravis juxta D. Thom. Velle autem aliter interpretari Sanctum D. est velle tergiversari, & contorquere ejus doctrinam. Igitur Episcopi, Parochi, & Parentes curent solliciti, ut eorum subditi,

& filii confirmentur congruo tempore; hoc enim illis incumbit ex officio. Verum si quis fragilis ex mera desidia, non ex contemptu omittat suscipere Confirmationem, non damnaretur juxta D. Thom. Idem tenet V. Palafox in explicatione hujus Sacramenti.

10. Inq. 5. Quinam sint effectus Confirmationis? R. Esse tres. *Primus* est gratia sanctificans; sive ejus augmentum corroborativum ad confitendam, & defendendam fidem, etiam coram tyrannis. Est enim hoc Sacramentum per se primo institutum ad causandam secundam gratiam corroborativam. *Secundus* est caracter, quo Confirmatus insignitur, tanquam miles, & athleta Christi. *Tertius* est cognatio spiritualis, quam contrahunt confirmans, & patrinus cum Confirmato in *prima specie*; ac iidem ipsi cum Patribus Confirmati in *secunda specie*. In Confirmatione solum debet adesse unus Patrinus, sive una tantum Matrini, potest namque exercere munus Patris sive vir, sive foemina. Non Confirmatus illicite subiret munus Patris. Cetera, que in presentia disceptari possent, satis constant ex dictis duplici tractatu anteriori.

TRACTATUS VIGESIMUS QUINTUS

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIE SACRAMENTO.

CAPUT I.

De nomine, natura, materia, & forma Eucharistiae.

PUNCTUM I.

De Eucharistiae nomine, & definitione.

Venerandum, colendum, summisque laudibus celebrandum est Sacramentum, quod aggredimur explanandum: licet enim reverenti silentio, potiusquam voce, aut calamo illius excellentia, sublimitas, & magnitudo venerari deceat; debemus tamen pro viribus ejus mirabilem naturam, caeteraque que nobis tantopere conveniunt, investigare. Quod praestare curabimus in hoc tract. duce D. Th. qui praecipue de eo *bene scripsit 3. p. a. q. 73. usque ad 83.*

1. Inq. 1. Quid significet Eucharistia? R. Esse nomen graecum, quod latine idem est, ac *bona gratia*, seu *gratiarum actio*: tum quia in ejus institutione Christus gratias egit: tum quia omnium est fons copiosus gratiarum: nec aliter melius, quam devote illam suscipiendo, pro ipsa & aliis beneficiis Deo gratias agere valeamus. *Synaxis* etiam vocatur, id est collectio,

con-

congregatio, adunatio, quia olim, sicut & nunc, congregabantur in Ecclesia fideles ad coelestem panem manducandum. Item appellatur *Communio*, idest Communis unio, quia, medio hoc divino pane, unimur cum Deo, & internosmetipsos. *Viaticum* dicitur, quia reficit vires, ad transeundam peregrinationis viam, & perveniendum ad aeternae vitae tranquillum portum. *Cena* quoque nuncupatur, quia discessuris ex hac vita, velut ultimum pabulum ministratur. Etiam vocatur *Cena Domini*, quia Dominus, perfecta coena legali, hoc Sacramentum instituit, & cum Discipulis suis ipse etiam suscepit juxta D. Thom. *q. 81. a. 1.*

2. Praeterea *Agape*, idest convivium, appellatur, & tandem *panis Angelorum* merito conclamatur, vel quia illum sumentes, debent in puritate Angelos emulari, vel quia de caelo descendit pretiosior, quam Manna datum Patribus in Deserto. Unde cum hoc Sacramentum sit adeo excelsum, ac magnificentum, variis nominibus insignitur, quia adhuc pluribus significationibus ejus miranda dignitas non bene explicatur.

3. Inq. 2. Quid sit Eucharistia? R. Quod potest considerari, vel tanquam Sacramentum, vel tanquam Sacrificium: tanquam Sacrificium postea. Tanquam Sacramentum, duas habet definitiones. Metaphysica est: *Sacramentum novae legis, institutum a Christo Domino, causativum gratiae cibativae.* Per ultimam particulam *cibativae* differt a reliquis Sacramentis novae legis, cum quibus in caeteris convenit. Differt etiam in eo, quod reliqua Sacramenta causant gratiam; hoc vero Sacramentum gratiam causat, & continet Auctorem gratiae. Physica est: *Species panis, & vini consecratae, sub praescripta verborum forma, a Sacerdote prolata.* Hac definitione satis innuitur, quod hoc Sacramentum constituitur in *recto* per species panis, & vini, connotando tamen Corpus, & Sanguinem Christi: Sacramentum enim est, quid sensibile, quod in *recto* solum convenit speciebus, caeteris autem *de connotato*, in quantum per species significantur.

4. Inq. 3. An hoc Sacramentum sit unum in specie atoma? R. Affirm. Nam licet physice sit plura, quia tamen est con-

vivium, quod constat ex cibo, & potu, ideo est unum Sacramentum in specie atoma. In eodem sensu est panem numerice, quoties sit unum convivium moraliter. Unde ejus unitas numerica non sumitur a speciebus physice sumptis, sed ab earum sumptione considerata moraliter per modum convivii. Igitur quoties adsunt plures species omnino separatae, ac discontinuae, adsunt plura Sacramenta Eucharistiae; tam physice, quam moraliter. Ubi vero unum integrum convivium complet, erunt quidem plura Sacramenta physice, sed unum moraliter; sicuti in uno convivio, esto apponantur plures physice cibi, potus, ac ferula; omnia tamen unum numero convivium moraliter integrant. Ita D. Thom. *3. p. q. 73. a. 2.*

PUNCTUM II.

De Materia Eucharistiae.

5. Inq. 1. Quenam sit materia Eucharistiae? R. Esse duplicem: nempe *quam*, & *ex qua*. *Materia quam* sunt species panis, & vini consecratae; & dicitur *quam*, quia permanenter continent Corpus, & Sanguinem Christi. Et sic intrinsece constituit Sacramentum, quod non convenit pani, & vino, nisi per modum termini *a quo*; aut *ex quo*. *Materia ex qua* etiam ex duplex: nimirum *proxima*, & *remota*. *Materia proxima* Eucharistiae est panis triticeus usualis, & vinum de vite etiam usuale, praecise a praesentia physica, aut morali. Unde panis confectus ex hordeo, avena, oriza, maizio, cicere, fabis, pisis, ami gidalis, castaneis, aut aliis leguminibus, vel seminibus arborum, ineptus est ad validam consecrationem. Granum de quo dubitatur, an sit triticeum, ut *siligo*, hispanice *centeno*, est materia dubia. Licet panis aliis forte granis diversae speciei preparatur permixtus, si vere panis triticeus adhuc remanet, materia valida est. Imo esto Sacerdos curare debeat, quod hostia consecranda sit munda; tamen non seprodat nimium in ea abstergenda, & munda cum aliorum fastidio.

6. Praeterea panis ad validam consecrationem debet esse usualis, ex aqua naturali confectus, & igne coctus. Unde hostia,

tiæ rubræ, quibus litteræ sigillantur, aut panis confectus cum melle, lacte, oleo, aqua rosacea, massa cruda, aut frisa, pasta, viscotum, pultes, & similia, sunt materia nulla. Idem est de pane corrupto. Si incipit corrumpi, esto sit materia valida; graviter tamen illicita. Quod panis sit acymus, aut fermentatus, vel hostia rotunda, aut quadrata non officit valori consecrationis. Sacerdos vero latinus quocumque pergat, & similiter Græcus, debet sub gravi observare ritum propriæ Ecclesiæ; ita ut unice ad perficiendum Sacrificium, quando, consecrata utraque materia, hostia dispareret, vel reperiretur corrupta, aut inepta materia, in defectu panis acymi. Latinus deberet integrare Sacrificium in pane fermentato, aut Græcus in acymo. At in nullo alio casu, esto populus absque Missa maneret, aut infirmus absque viatico decederet, id fieri valet.

7. Vinum pro materia calicis debet esse usuale ex vite. Unde esto mustum sit vinum de vite; & materia valida, non tamen licita, quia non est usuale, nec bene decoctum. Convenientius autem est apponi vinum album, quam rubrum, aut nigrum propter munditiem, & puritatem, huic Sacramento debitam. Laudabile pariter est, & congruit reverentiæ tanti Sacramenti, ut non quodecumque vinum, sed optimæ, aut saltem mediocris qualitatis, & boni saporis adhiberi curent omnes, ad quos id spectat: vinum vero acidum, si naturæ aceti, ita proximum sit, ut dubitetur, an sit vere acetum, est materia graviter illicita, acetum enim est omnino nulla: quia vinum, in acetum conversum, transit in aliam speciem. Et idem est de vino hispano. *Agua ardiente.* De illo quod vocatur *hypocras* dubitari potest, an sit valida materia propter comixtionem, ideo est graviter illicita. Alii liquores non ex vite, sed ex pomis, malis, malogranatis, moris, vel quibuscumque fructibus, aut radicibus expressis, sunt materia invalida. Idem est de vino reperto in pane madofacto. Vinum congelatum est materia dubia: si liquefat, valida est; consultius autem erit illo non uti, si aliud vinum commode habeatur.

3. Inq. 2. An vino consecrando miscenda sit aqua? R. Ex præcepto eccle-

siastico debere vino misceri aquam propter quatuor. 1. Quia ita fecisse Christum Dominum in nocte cœnæ pie creditur. 2. Ad significandum ex latere Christi sanguinem, & aquam fluxisse. 3. Ad denotandam unionem Populi Christiani cum Christo. 4. Ad declarandam unionem naturæ humane cum Divina. Alii alias addunt significationes, sed præfata sufficiunt ad ineundam gravem obligationem hujus mixtionis. Tria autem observanda sunt circa illam. 1. Debet fieri in ipso altari tempore Sacrificii ante oblationem, & in ipso calice; nec sufficit fieri antea in utroque. 2. Quod aqua sit ita modica, ut cito possit converti in vinum. Nisi enim prius convertatur in vinum, non convertitur in sanguinem juxta probabiliorém sententiam. 3. Quod aqua sit naturalis, non artificialis, quia vera, & naturalis fluxit ex latere Christi, inquit D. Th. 3. p. 2. q. 74. a. 7. ad 3.

9. Cave autem ab hæresi Aquariorum, qui *sola aqua*, & Armenorum, qui *solo vino* utebantur in sacrificio, juxta S. Epiphanium. Observari etiam oportet, quod, si infusio aquæ non est peracta ante consecrationem, omittenda est; si vero Sacerdos ante consecrationem suæ omissionis recordetur, debet illam supplere, miscereque aquam cum vino. Si complendum esset Sacrificium, & aqua non haberetur, deberet Sacerdos uti vino sine aqua propter præceptum Divinum perficiendi Sacrificium. In nullo vero alio casu licitum est uti vino sine aqua. Denique nota circa quantitatem aquæ permiscendæ, quod vix peccari possit per defectum, quia quælibet guttula, dummodo sensibilis sit, sufficit ad mysticam significationem: per excessum autem peccari potest, si infundatur tanta, quod nequeat dici modica respectu vini.

PUNCTUM III.

De Materia proxima Eucharistiæ.

10. Inq. 1. Quæ sit materia proxima Eucharistiæ? R. Ipsam materiam remotam præsentem, præsentia physica, aut morali, cum distantia proportionata, esse materiam proximam. Illa dicitur materia præsens physice, quæ videtur, aut tangitur

tur a Sacerdote; illa vero est præsens moraliter, quæ licet nec videatur, nec tangatur a Sacerdote, vere tamen ibi est, ut formulæ in pixide in ipso altari coopertæ. Non sufficit videri a longe materia, quia quod notabiliter distat, nec physice, nec moraliter est præsens. Unde solum materia per decem, aut duodecim passus distans potest valide consecrari. Si viginti passibus distat, jam est res dubia. Quæ denique triginta, aut amplius, nulla est reputanda: quia quod tantum distat, nec physice, aut moraliter præsens est; nec proprie de eo verificatur pronomen *hoc*, aut *hic*, sed *illud*.

11. Unde licet quælibet materia sensibilis panis, aut vini, sive magna, sive parva, sit ex se consecrabilis; tamen solum potest simul ab uno Sacerdote consecrari illa quantitas materiæ, quæ illi est physice, aut moraliter præsens: quia tantum valet consecrare quod demonstrare potest pronomine *hoc*, vel *hic*. Hæcne si fluvius in vinum verteretur, non posset totus consecrari, sed tantum illa pars quæ posset demonstrari, ut præsens per pronomen *hic*. Nec valet dicere omnem fluvium esse continuum; quia non est idem esse continuum, ac esse præsentem: unde licet sit continuus physice, discontinuatur moraliter. Ut patet in flumine, cujus una pars est unius Domini, & alia alterius, licet totus sit physice continuus. Pro praxi autem solum debet Sacerdos consecrare materiam, hostias, aut formulas sibi, ac fidelium usui necessarias; alias peccare graviter, pro libito, & absque rationabili causa materiam notabiliter majorem consecrando.

12. Ex dictis infertur non manere consecratam hostiam existentem post parietem, nec positam post tergum, nisi Sacerdos caput vertat, aut manu eam teneat; neque hostia inclusa in tabernaculo; bene vero aperta in pixide, aut vase. Imo si Sacerdos deferens ad altare pyxidem plenam hostiis, cum intentione eas consecrandi, esto tempore consecrationis, nec eas discooperiat, nec earum recordetur, manent consecratæ, si super aram existant, secus si extra illam. Idem est de guttis vini extra calicem existentibus. Ratio primi est, quia adest intentio virtualis, & præsentia moralis. Ratio se-

cundi est carentia intentionis, quam non extendit prudens Sacerdos ad materiam extra aram, aut calicem existentem. An vero guttæ vini intra calicem separatae existentes, manent consecratæ, pendet ab intentione Sacerdotis. Si enim intendit omne, quod est in calice consecrare, manent consecratæ. Si intendit consecrare tantum vinum, quod per modum unius continui intra calicem existit, consecratæ non manent ex defectu intentionis. Ob eandem intentionis carentiam non manent consecratæ hostiæ positæ in altari, inscio Sacerdote: neque, quæ ad altare deferuntur, incepta jam forma consecrationis, quia eas non comprehendit pronomen *hoc*. Propter oppositam rationem Sacerdos tenens in manibus duplicem hostiam, putans esse unam, utramque consecrat, & utramque debet simul sumere, sicut etiam formulas sub aliis latentibus consecrat, licet ignoret earum numerum, quia totam materiam præsentem comprehendit pronomine *hoc*. Non tamen fragmenta, super corporale ante consecrationem dispersa, quia nulla adest consecratus ratio extendendi intentionem ad illa.

13. Sed P. Concina lib. 3. de *Euch. disert.* 1. c. 2. n. 8. de casu duplicis hostiæ asserit rem esse incertam; & tutius judicat sumere hostiam alteri suppositam post assumptionem calicis. Hæc doctrina est aperte contra rubricam missalis Romani, quæ expresse præscribit, simul utramque hostiam esse sumendam. Alias nec ratio Concinae est alicujus momenti; dicit enim quod, si ante consecrationem deprehendisset duas esse hostias, certe unam tantum consecrasset. Quid inde? Ergo sola una est consecrata? Non tenet consequentia. Plures si scirent, quid sibi accideret post Matrimonium, aut alium contractum, non contraxissent. Ergo non contraxerunt? Infelix consequentia. Si Concina ante consecrationem deprehendisset hostiam esse maculatam, aut fractam, vel vinum aliquantum acidum, non consecrasset: ergo non valet ejus consecratio, ex ignorantia eorum peracta? Nulla est consequentia. Erg. idem de casu duplicis hostiæ: nec licet alicui facere, aut docere, nisi quod præscribit rubrica generalis.

14. Inq. 2. An materia consecranda debeat designari, aut determinari a Sacerdote?

dote? R. affirm. Alias non posset significari pronomine *hoc*; vel *hic*. Hinc si Sacerdos ex decem formulis, sibi presentibus, proferret verba super octo, non designatas, nulla esset consecratio; debet enim determinare, quas intendit consecrare: nec sufficit intentio consecrandi, quas Deus, aut Petrus scit, aut velit, sed ipse Sacerdos debet eas designare. Verum hoc non tollit, quin consecrare possit cumulum formarum, coram se positum; tunc enim omnes comprehendit pronomine *hoc*. Eadem ratione potest valide, esto non licite, consecrare magnum vini dolium, quia tota quantitas vini, ibi inclusi, comprehenditur pronomine *hic*.

15. Ad praxim itaque Sacerdos, cui apponitur cumulus formarum, vel pyxis eisdem plena, debet habere intentionem consecrandi omnem illam materiam una cum fragmentis, ibi existentibus, ne postea angatur, ignorans, quodnam ex illis fragmentis adorari debeat. Hac ipsa ratione, si una vel plures formæ non consecrate casu misceantur cum aliis consecratis, quin illæ ab istis discerni valeant, debet totum cumulum, vel contentum in pside consecrare *sub conditione, si non est consecratum*. Sic enim vitatur duplex periculum, unum idololatriæ, & aliud proferendi verba super materiam non designatam: quia, si vellet ea proferre super formas non consecratas, cum eas ignoret, nec designare valeat, proferret formam supra materiam non designatam, ac proinde invalidam.

PUNCTUM IV.

De forma Eucharistiæ.

16. Inq. 1. Quenam sit forma Eucharistiæ? R. esse verba a Sacerdote rite prolata; ita ut forma consecrationis panis sit hæc: *Hoc est enim corpus meum*. Omnia sunt de essentia, excepto *ly enim*; cuius omissionem quidam ceasent esse gravem ob præceptum Ecclesiæ, quidam putant esse tantum levem, secluso contemptu; quia nec Christus illam apposuit, nec speciale mysterium continet. Forma consecrationis calicis sita est in his verbis: *Hic est enim calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in re-*

missionem peccatorum. Omnia verba, excepto *enim*, explicite, aut saltem implicite esse essentialia defendunt plures, tam intra, quam extra scholam D. Thom. cum PP. Salmant. Alii etiam Thomistæ oppositum tenent, asserentes solum hæc verba: *Hic est sanguis meus: vel hic est calix sanguinis mei* esse de essentia. Juxta omnes præfata omnia verba debeat dici, quia pertinent saltem ad integritatem formæ.

17. Inq. 2. An, si Sacerdos diceret: *hic est corpus meum* vere consecraret? R. sub distinctione: vel enim *ly hic* sumitur adverbialiter, & sic non fit consecratio, quia adest variatio substantialis. Vel sumitur loco pronominis, & ita valet, quia est error grammaticalis, & accidentalis tantum. Idem est si quis diceret: *hic est corpus meum, vel hoc est corpus meum, vel hic est sanguis meum, vel xanguis, loco sanguis, vel ex, loco est, vel meum, loco meum*, in quo aliqui pusilli anguntur, & desudant, ut expriment totum *m*; sed supposita recta intentione, deponant pusillitatem & angorem; Deus enim non est tam istarum minutiarum severus observator, ut bene ait Magister Soto in præsentii.

18. Inq. 3. An, si Sacerdos diceret: *hæc est caro mea*, esset valida Eucharistiæ forma? R. tantum esse probabilem, ac dubiam; alii enim negant, alii affirmant. Idem est de hac: *ecce corpus meum*. Idem de ista: *hoc est corpus Christi*. Invalida abs dubio est hæc forma: *hoc fit corpus meum*; vel *iste panis convertitur, transformatur, transfertur in corpus meum*: quia indicata verba non significant sacramentum permanenter, & in factò esse, sicut verbum est; sed tantum in fieri. Veluti etiam ista: *hoc fit corpus meum, vel con-secro, conficio corpus meum*, ob eandem rationem sunt forma invalida.

19. Inq. 4. An verba consecrationis dicantur a Sacerdote solum historice, aut recitative, vel simul assertive, & significative? R. utroque modo proferri: quia, si solum recitative, aut historice ea diceret Sacerdos, non posset designare pronomine *hoc* materiam præsentem, sed illam, quam in cœna Christus consecravit: ergo ut demonstret præsentem materiam, simulque illa verba fuisse dicta a Christo, debet ea proferre, tum recitative, tum significative.

20. Nec

PUNCTUM V.

Alia dubia circa formam.

20. Nec valet dicere, quod si proferantur significative nequit verificari de sanguine, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*; tum quia jam sanguis non effunditur; tum etiam quia denotatur effundi pro aliis, non vero pro ipso Sacerdote. R. ad 1. quod *ly effundetur* verificatur ratione representationis, in quantum in ipso sacrificio representatur tempus ejus institutionis; hoc est: *pridie quam pateretur* ejusdem institutor. Ad 2. est dicendum quod Sacerdos celebrans gerit vices duplicis personæ, nempe Christi, & propriæ. Unde licet in persona Christi dicat: *pro vobis effundetur*, non excludit se, ut personam privatam.

21. Inq. 5. Quid significetur in forma consecrationis pronomine *hoc*, vel *hic*? R. non significari substantiam aliquam determinate singularem, sed substantiam contentam sub his speciebus, vage sumptam. Quoniam non significatur determinate substantia panis, aut vini, neque substantia Christi determinate. Sensus ergo verborum consecrationis est, *contentum sub his speciebus, quod ante consecrationem non est determinate corpus, nec sanguis Christi, in fine prolationis verborum est determinate in hostia corpus, & in calice sanguis Christi*. Ideo dicitur significari substantiam singularem, vage sumptam, in consecratione per pronomem *hoc*, vel *hic*. Quæ autem, vel quot miracula operetur Dominus paucis verbis consecrationis in hoc Sacramento, miraculorum ab ipso factorum maximo, noverit ipse divinus institutor, qui facit mirabilia solus. Sunt enim plura, & miranda, quæ in uno instanti perpetratur. 1. Separare substantiam, natura mirante, a suis accidentibus. 2. Hæc permanere, & nutrire sine substantia. 3. Ponere totum Christum sub dimensione, adeo exigua, ut sit etiam in minima particula. 4. Adesse simul in cœlo, & in terra, & in tot locis, quæ vix numerari valent. Hæc, & alia, vere stupenda, quæ sola fides efficit credere, perficit Sacerdos quatuor verbis, in virtute, & vice Christi prolati: non alio fine, nisi ut seipsum in edulium largiatur homini in sui memoriam. O memoriale suavissimum, in intimo cordis ab homine semper, semperque retinendum!

Tom. II.

22. Inq. 1. Quid ponatur in Eucharistia ex vi verborum? R. Poni in hostia tantum corpus Christi præcissive a vivo, aut mortuo: nam, licet de facto ponatur vivum, hoc non est formaliter *ex vi verborum*, sed quia ponitur prout est; est autem vivum in cœlo: igitur ex vi verborum solum ponitur in hostia corpus Christi. Sed per unionem naturalem ponitur anima; per concomitantiam sanguis, per unionem hypostaticam Verbum Divinum, ratione inseparabilitatis assistunt peculiari modo aliæ duæ personæ in hoc sacramentò, non tamen per concomitantiam, aut unionem hypostaticam. Identice adsunt etiam attributa divina.

23. Similiter in calice *ex vi verborum* solum ponitur sanguis; per concomitantiam corpus cum cæteris, quæ respectu ve dicta sunt de hostia. Si triduo mortis Christi Apostoli consecrasset panem, solum positum fuisset in ejus speciebus corpus unitum Divinitati sine anima, & sine sanguine, utpote tunc ab eis separatam: pariter si consecrasset vinum, solum fuisset positus sanguis Divinitati unitus, prout dictum est sine anima, & corpore. Sine corpore inquam, prout corpus dicit compositum ex carne, ossibus, nervis, dentibus, & reliquis partibus non fluidis; totum enim hoc intelligitur in præsentii nomine corporis. Nominem vero sanguinis solum verus sanguis intelligitur, non alii tres humores, qui licet pertineant ad integritatem corporis humani, & ibi existant, minime apponuntur ex vi verborum, sed per concomitantiam, aut connexionem cum corpore vivo.

24. Inq. 2. An, si hostia consecrata nocte cœnæ, servata fuisset usque ad obitum Christi, mortuus fuisset Dominus in sacramento? R. affirm. quia implicat eundem esse simul vivum, & mortuum; mori enim, & vivere sunt prædicata intrinseca constituenta distinctam naturam, & convenientia corpori secundum se, & non per comparisonem ad corpora extrinseca. Contrarium putant non pauci, imo propugnant aliqui cum V. de Agreda

E de

de facto in pectore B. Virginis Christum permansisse vivum in triduo in hostia, seu pane consecrato, nocte cœna a Dei Matre suscepto. Sed licet hoc valde pie ab illis credatur, probabilius censemus oppositum cum D. Thom. in 4. dist. 11.

4. art. 4. q. 9.

25. Verum quamquam Christi corpus, prout in Sacramento, mori possit, non tamen conspui, flagellari, crucifigi, quia hujusmodi, & similes denominationes requirunt extensionem quantitativam, qua caret Christus in sacramento. Ob quam etiam extensionis carentiam neque videt, neque audit, neque sensibus internis utitur, neque oculo corporeo videre potest naturaliter: esto supernaturaliter ipse Christus, non modus, quo est in Eucharistia, videri valet.

26. Inq. 3. Quid significet *transubstantiatio*? R. Significare *conversionem totius substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi, remanentibus panis, & vini accidentibus sine subjecto*. Accidentia vero remanentia sunt odor, color, sapor, quantitas, qualitas, actio, & passio; species enim panis & vini consistunt in odore, colore, sapore, magnitudinem, figuram, nutriunt, & ab extrinseco agente moventur, ac etiam corrumpuntur: agunt igitur, & patiuntur in virtute substantiæ præcedentis. Aliqui ajunt produci a Deo miraculose aliam substantiam, ut accidentia nutrire subjectum valeant; sed oppositum docet D. Thom. 3. p. q. 77. art. 5. & 6.

27. Inq. 4. An substantia panis, & vini annihilentur per consecrationem. R. neg. quia annihilatio proprie dicta est in nihilum redigi, substantia autem panis & vini, non redigitur in nihilum per consecrationem, sed convertitur in substantiam Christi; & quia tota substantia transmutatur, appellatur *transubstantiatio*. Nihil igitur substantiæ panis, aut vini remanet in Eucharistia, ut contra hereticos impanatores docet Ecclesia: succedit ejus loco vera, & realis præsentia Christi, qui totus in toto, & totus in qualibet parte Sacramenti indivisibiliter per modum substantiæ est; ideoque debetur ei cultus latræ, ut docet Trid. Sess. 13. Can. 3.

28. Inq. non

CAPUT II.

De ministro, subjecto, & effectu Eucharistiæ.

28. **D**iscussis jam partibus, seu causis intrinsicis Eucharistiæ, nempe materia, & forma, ad explanandas ejus causas intrinsecas, nec non ipsius mirificos effectus progredimur.

PUNCTUM I.

De ministro Eucharistiæ.

29. Inq. 1. Quis sit minister Eucharistiæ? Duplicem dari Eucharistiæ Ministrum; alium consecrationis; alium dispensationis. Minister consecrationis est solus Sacerdos, ut docet catholica fides: quia solum Sacerdotibus dixit Christus *Matth.*

26. *Hoc facite in meam commemorationem*. Unde liquet cæcitas voluntaria Montanistarum, qui duabus mulieribus Priscillæ, & Quintillæ Sacerdotis dignitatem concessere; pariterque Lutheranorum, qui omnes laicos indiscriminatim Sacerdotes esse contendunt. Solus igitur Sacerdos, rite ordinatus, est minister consecrationis Eucharistiæ. Et quamvis sit improbus, hereticus, excommunicatus, aut degradatus valide consecrat; quia esto graviter peccet, potestatem tamen Ordinis retinet, ut inquit D. Th. 3. p. q. 82. art. 7. & 8.

30. Inq. 2. An plures Sacerdotes possint simul consecrare eandem materiam? R. affirm. Quia licet plures causæ totales, principales nequeant producere eundem numero effectum; plures tamen causæ totales, instrumentales possunt illum producere in virtute unius agentis principalis, & ita se habent plures Sacerdotes simul consecrantes in virtute Christi: quod de facto accidit, dum novi Sacerdotes simul cum Episcopo consecrant eandem materiam in sui ordinatione: atque idem contingit cum novi Episcopi consecrantur. Tunc autem candidati debent habere intentionem non consecrandi ante, vel post Episcopum, sed in eodem instanti; nec consecrandi vinum, si panem ob anticipationem Episcopi, vel aliter non consecraverunt, sed proferendi, & absolvendi verba simul

simul cum Episcopo. Uno verbo, habeant intentionem efficiendi illud, quod intendit Ecclesia, & meliori modo, quo possunt. In alio quocumque casu, præter duos assignatos, esset gravissimum sacrilegium plures Sacerdotes consecrare eandem materiam.

31. Inq. 3. An possit directe ex intentione una species sine altera licite consecrari? R. in nullo casu id licere, quia Eucharistia nequit perfici, ut sacramentum, nisi offeratur simul, ut sacrificium: sacrificium autem essentialiter, & ex jure divino exigit utriusque speciei consecrationem. Unde nunquam valet directe una species sola licite consecrari. Neque dispensatio Innocentii VII. Norvergiis indulta, juxta aliquos, contrarium opinantes, aliquid probat: fabulosa enim reputatur, cum in jure Divino absoluto, & non fundato in actu, vel contractu humano nequeat Pontifex dispensare. Ultra quod, eadem penuria vini laborant hodie illæ Provincia, ac antea, quin similis dispensationis memorentur. Cæterum quibusdam casibus omitti valet Sacrificium incompletum, dum consecrata hostia imminet Sacerdoti mortis periculum, vel non reperitur vinum consecrandum; postquam putans ponere vinum posuit aquam. Numquam tamen, etiam ob metum mortis, potest ex intentione una sola species consecrari.

32. Inq. 4. Quæ dispositio requiritur in ministro consecrationis Eucharistiæ? R. Quod necessitate sacramenti sufficit intentio actualis, aut virtualis: sed necessitate præcepti duplex requiritur dispositio; una ex parte animæ; alia ex parte corporis. Ex parte animæ Sacerdos ad celebrandum debet esse in statu gratiæ: ita ut certitudine morali immunis sit a culpa lethali. Si autem habeat conscientiam peccati gravis, aut de eo prudens dubium, debet se disponere media confessione, quantumvis contritus sibi videatur, ob præceptum Divinum: *Probet autem seipsum homo*. Idem, si recordetur alicujus peccati gravis in confessione etiam inculpabiliter omisso. Ex parte corporis requiritur jejuniū naturale ex præcepto ecclesiasticum, ut fusius infra patebit.

33. Inq. 5. An aliquando Sacerdos, conscius peccati gravis, possit cum con-

tritione, saltem existimata, celebrare absque prævia confessione? R. Posse solum duplici conditione existente; nimirum quod non adsit copia Confessarii, & quod urgeat necessitas celebrandi. In quinque autem casibus verificatur non adesse copiam Confessarii. 1. Si tantum distat, quod nequeat poenitens ad illum accedere absque gravi incommodo, inspectis circumstantiis ætatis, debilitatis, ac temporis. Verum si tempus permittat, se prævenire debet, ne in ipso die, quo celebrare cogitur, aliqua ex his circumstantiis impediatur. 2. Ob metum mortis, Sacerdoti incussum, si statim non celebret. 3. Si solum adsit Confessarius, de quo prudenter timetur revelatio sigilli, aut aliud notabile detrimentum. 4. Si nequeat confiteri, nisi per interpretem. 5. Si non adsit Sacerdos cum jurisdictione.

PUNCTUM II.

De Aliis spectantibus ad ministrum Eucharistiæ.

34. Inq. 1. Quando dicatur quod adest urgens necessitas celebrandi, aut communicandi absque prævia confessione? R. Quatuor in casibus. 1. Quando, Sacerdote non celebrante, infirmus absque viatico esset decessurus. 2. Quando Sacerdos post consecrationem recordatus alicujus peccati gravis, non confessi, debet prosequi cum contritione, quia in illo casu non debet interrumpi sacrificium. Si vero ante consecrationem recordetur, & possit sine infamia, aut scandalo, debet confiteri. 3. Quando Parochus tenetur celebrare, ut populus missam audiat, & abest alius, qui suppleat. Secus est de Sacerdote non Parocho; huic enim non incumbit curare de ovis. Nec celebrare valet sine prævia confessione, ut ipse satisfaciat debitis contractis, vel suæ paupertati, aut Capellanæ, aut præceptis, audiendi missam, vel communicandi in Paschate, quia hæc præcepta non obligant, dum nequeant adimpleri convenienter juri Divino. Nec præceptum communionis paschalis obligat uno tantum die, quia cum causa anticipari, aut postponi valet.

35. Quartus casus est, quando ex ommissione celebrationis, aut communionis se-

quitur grave scandalum, aut notabilis infamia. Quamvis autem, dum adest verum periculum gravis scandali, aut infamiae omnes admittunt tunc casum, cavendum tamen est, ne quis levissimam, aut nullam infamiam fingat gravem. Si enim ego viderem aliquem quandoque omittentem celebrare, vel recedentem a loco communionis, potius timoratum, quam improbum judicarem. Unde in communitatibus religiosis, praesertim Monialium, saepe accidit, aliquam omittente communionem, aut recedere ab ejus loco sine illa, quin inde scandalum, aut peculiaris infamia sequatur. Igitur ex una parte reverentia tanti Sacramenti, & ex alia circumstantiae casu serio inspicere debent, ut quis, lethali culpa inquinatus, ad illud accedat absque praevia confessione, cum contritione existimata.

36. Inq. 2. Ad quid teneatur Sacerdos, celebrans in relictis casibus absque praevia confessione? R. Teneri confiteri *quam primum* ex mandato Trident. sess. 13. cap. 7. Quod mandatum esse verum praecipuum, & non merum consilium, constat ex proposito. 38. proscripta ab Alexandro VII. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi *quam primum*, est consilium, & non praecipuum. Quod autem *quam primum* debeat intelligi, non quando Sacerdos sit iterum celebraturus, aut non post plures dies, sed in sensu naturali, hoc est, quam primum moraliter possit, liquet, ex prop. 39. damnata pariter ab eodem Pontifice: *illa particula quam primum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Aliqui triduum permittunt. Sed ad quid triduae induciae, si eodem die moraliter potest? Igitur si eodem die moraliter possit, eodem die obligat Pontifex. Neque aliter, nisi violenter, queit interpretari illa particula *quam primum*. Si tamen adesset aliqua rationabilis causa, ad differendam confessionem per biduum, vel per triduum, non damnarem peccati gravis sic facientem. Et in hoc sensu intelligendi sunt AA. qui triduum permittunt, hoc est, aliqua rationabili causa; hac seclusa debet fieri *quam primum*.

37. Inq. 3. An hoc praecipuum laici comprehendantur? R. neg. quia Conci-

lium de solis Sacerdotibus loquitur; si enim etiam laicos comprehendere voluisset, facillime eos potuisset exprimere. Nec deest ratio cur sacerdoti, non vero laicis ita jusserit; nempe differentia, quae adest inter celebrationem, & communionem, ac etiam diversitas vitae, & perfectionis in sacerdotibus, ac in laicis requisita. Alii extendunt ad laicos hoc praecipuum: sed nescio, quo fundamento. Concilium quippe, postquam praecipuum, praemittendi Confessionem communioni, declaravit, omnibus Christianis observandum; addit quod, si necessitate urgente Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, *quam primum confiteatur*: Non ergo laicos sed Sacerdotes comprehendit; alias diceret, si necessitate urgente aliquis Eucharistiam sumpserit, *quam primum confiteatur*; sed hoc non dicit, cum facile posset: ergo laicos non comprehendit. Bulla contra sollicitantes non comprehendit laicos, nec clericos, se fingentes confessarios, licet vere sollicitent, quia solum loquitur de Sacerdote: erg. idem in praesenti.

38. Neque comprehendit Sacerdotes more laicorum communicantes: quia in hoc casu velut de materiali se habet sacerdotium; non enim celebrant impellente necessitate. Sed quia oppositum accidit in celebrante officia die veneris sancti, licet in rigore non celebret Sacrificium, probabilius comprehenditur in praecipuum, quia in eo de formali se habet sacerdotium: celebrat enim officia, & ut Sacerdos sumit hostiam sacram; idem est de Sacerdote, perficiente sacrificium, ab alio relictum imperfectum. Idem si praemissa confessione recordetur, dum jam iterum confiteri non valet, peccati in dicta confessione obliti, quia in his casibus vere, & proprie sacerdos celebrat sine confessione praevia, urgente necessitate.

39. Inq. 4. An dicto praecipuum comprehendatur Sacerdos absque necessitate celebrans voluntarie in lethali? R. neg. quia praecipuum *quam primum* impositum est expresse Sacerdoti, celobranti non praemissa confessione titulo necessitatis, & absentiae Confessarii. Ne igitur fingatur titulus, imponitur ei praecipuum *quam primum* confitendi. Haec est communior Theologorum opinio.

40. Nihilominus eam falsam, & impro-

probabilem suggillat quidam recentior. Sed ejus ratio non evertit probabilitatem communis sententiae. Ait enim: Concilium praesumere noluit, sacerdotes gravi scelere pollutos reperiendos fore, qui ex malitia celebrare velent confessione non praemissa. Verum imprimis quis hoc ei revelavit? Deinde si Concilium noluit id praesumere de Sacerdotibus, nihil de eis pro casu disposuit. Solon celeberris Legislator rogatus, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset? Respondit: se id neminem facturum putasse. Igitur verosimilius est Concilium satis caluisse fragilitatem humanam; ideoque noluisse novum addere laqueum, prudenter considerans, quod infringens sponte, ac nulla necessitate cogente, praecipuum divinum, facilius frangeret humanum. Sacerdos in lethali ex professo celebrans, est alter Judas parvi pendens praecipua divina: ne ergo talibus anim injiceret laqueum, abstinuit prudentissime Concilium a novo praecipuum eis imponendo: quod, utpote inferius divino, minus cohiberet audaciam eorum. Idem teneas de laicis: adhuc dato quod comprehendantur sub praecipuum *quam primum*, dicimus laicos, voluntarie communicantes in lethali, non committere novum peccatum ex eo, quod non confiteantur *quam primum*, sicut committunt sacerdotes, absque confessione celebrantes ex necessitate.

PUNCTUM III.

De ministro distributionis Eucharistiae.

41. Inq. 1. Quis sit minister Eucharistiae distribuendae? R. esse duplicem, nempe ordinarium, & extraordinarium ex commissione. Ordinarius est solus Sacerdos. Requiritur autem in Sacerdote, ut licite eam administret aliis, jurisdictio, vel proprii pastoris consensus, saltem praesumptus, ut regulariter adest ex consuetudine, excepto pro communione paschali, & pro viatico. Minister extraordinarius est Diaconus, qui, ut propinquus Sacerdoti, primis saeculis distribuere Eucharistiam sub utraque specie. Subinde solum sanguinem in calice; at in praesenti tempore tantum valet ministrare eam sub specie panis ex commissione Episcopi, aut Parochi ex justa causa; ut si Sacerdos sit

infirmus, & non sit alius ad Eucharistiam distribuendam praeter Diaconum. In articulo mortis potiori ratione valet eam ministrare, tam sibi, quam alii in defectu Sacerdotis, vel si iste nollet eam dispensare.

42. Inq. 2. An Sacerdos, non solum in periculo mortis, sed etiam extra illud ex devotione possit extrahere particulam de Sacramentis, & se communicare, deficiente alio Sacerdote? R. affirm. quia nullo jure hoc ei prohibetur. Idem asserunt plures, de Diacono; quia Concilium Nicaenum hoc ei concedit. Verum raro Sacerdoti, rarissime Diacono id ego consulerem, attempta hodierna disciplina.

43. Inq. 3. An Subdiaconus in defectu alterius ministri possit in mortis periculo Eucharistiam ministrare? R. Quod licet olim non solum Subdiaconi, sed etiam laici seipsos, & alios communicarent, viris in manu nuda, feminis in linteo *Domini-cale* appellato, Eucharistiam tradendo, quod alicubi adhuc fieri apud graecos, refertur: tamen apud Latinos a saeculo sexto obsolevit hujusmodi consuetudo, ita ut nullus praeter Sacerdotem, aut Diaconum, Eucharistiam nec sibi, nec aliis unquam ministrare absque gravi peccato valeat, nisi ex commissione speciali summi Pontificis: ut legitur Pium V. concessisse Mariae Stuardae Scotorum Reginae privilegium, apud se retinendi Eucharistiam, qua in extremo agone semetipsam reficeret, uti fecit. Vid. Bened. XIV. in syn. lib. 13. cap. 19. n. 27.

44. Inq. 4. Quid requiratur in ministro ad licitam Eucharistiae distributionem? R. requiri in primis statum gratiae; aliter tot saltem peccata gravia committit, quot vicibus illam distribuit. Deinde extra Missam debet sub gravi habere Superpellicium, & stollam: servandi quoque sunt alii ritus ab Ecclesia praescripti circa locum, tempus, cultum, apparatus, & caeremonias luminis, confessionis generalis, & absolutionis. Quae omnia sub gravi servari debent, excepto aliquo casu valde urgenti, & tempore pestis, in quo ob infirmorum multitudinem valet absque caeremoniis Eucharistia reverenter ministrari. Praestat etiam infirmum mori sine viatico, quam Sacerdotem indecenter cum sacramento currere. Nec Eucharistia deferri

ferri potest ad ægrotum, qui nequit illum sumere, ut eam adoret, aut habeat solatium eam venerandi. Ita declaravit Sac. Cong.

45. Inq. 5. Quando teneatur Parochus, aut Sacerdos Eucharistiam ministrare. R. Quod in articulo mortis, deficiente Parocho, tenetur quilibet Sacerdos ex caritate eam dispensare: Parochus vero non solum ex caritate, sed ex iustitia adstringitur illam ovibus ministrare in articulo mortis, etiam tempore pestis; quia est Pastor, & Pastori incumbit pascere gregem, præcipue in majori necessitate. Potest autem, peste grassante, eam conferre infectis in cochleari argenteo, sive in vase cum aquæ, vel vini non consecrati haustu; ita ut æger facile absorbere valeat. Sic enim consultitur reverentiæ Sacramenti, & Sacerdotis saluti. Parochus pariter tenetur ex iustitia distribuere Eucharistiam suis ovibus, non solum tempore Paschatis, quia tunc ipsæ oves satisfacere adstringuntur præcepto communionis paschalis, sed etiam quoties oves illam rationabiliter postulent; pascuntur enim Parochi temporaliter ab ovibus, ut oves spiritualiter pascantur a Parochis. Circa modum ministrandi viaticum tempore pestis vid. Benedictum XIV. in *syn. lib. 13. cap. 19. a n. 20.*

46. Inq. 6. An Sacerdos intra Missam dare possit partem suæ hostiæ, postulanti communionem? R. affirm. quia nullo jure prohibetur id fieri ex rationabili causa: ut si quis accederet cum magna devotione, & non esset formula consecrata, nec aliud sacrum, quod expectare absque incommodo valeret. Si autem alicubi constitutione peculiari sit prohibitum, fieri non debet. Sacerdos carens indice, & pollice non potest Eucharistiam ministrare, at in necessitate, ne infirmus absque viatico moriatur, valet aliis digitis id facere, secluso periculo lapsus hostiæ in terram.

PUNCTUM IV.

De subjecto Eucharistiæ.

47. Inq. 1. Quod sit subjectum capax Eucharistiæ? Pro resolutione nota, quod triplex datur communicatio: nempe *spiritualis tantum, Sacramentalis tantum, Sacra-*

mentalis, & spiritualis simul. Communicatio *spiritualis tantum* est, quæ fit per pium affectum, ac devotum, fructuosumque desiderium sumendi hoc mirabile Sacramentum. Communicatio hæc est propria iustorum, potestque fieri, aut suscipi, etiam a non baptizatis, ut a Cathecumenis in gratia existentibus. *Sacramentalis tantum* est, quæ fit a peccatore baptizato, qui, utpote baptizatus, recipit Sacramentum; sed quia indigne, & sacrilege, non recipit hujus fructum. Ideo communicat sacramentaliter tantum. Communicatio *Sacramentalis, simulque spiritualis* est, in qua recipitur Sacramentum, & ejus fructus. Quibus suppositis.

48. R. quod omnis viator baptizatus est subjectum capax recipiendi Eucharistiam. Unde si infantibus, ut olim fiebat, aut perpetuo amentibus conferretur, causaret augmentum gratiæ. Prudenter tamen prohibuit Ecclesia illis, etiam in articulo mortis, eam ministrare ob reverentiam tanti Sacramenti. Amentibus vero, qui post usum rationis in amentiam inciderunt, potest, & debet solum in mortis articulo conferri; secluso tamen periculo irreverentiæ, & casu, quo in mortali absque penitentiæ signis amentiam non incurrierit. Surdis, & mutis a nativitate, semifatis, & lucida intervalla patientibus, si hunc cælestem panem a communi discernunt, ministranda est in articulo mortis, ac etiam tempore Paschatis. Et potiori ratione energumenis, dum sui compotes sunt, ministrari potest, etiam aliquoties in anno, juxta prudens arbitrium Parochi, aut viri docti.

49. Inq. 2. Quo tempore pueri ad communionem sint admittendi? R. Quod post usum rationis, aut in ejus dubio, completo septennio, in articulo mortis eis sub gravi ministranda est: quia sacra communicatio, non tantum utilis, sed forte ad salutem necessaria illis esse potest. At extra mortis articulum communio opinio censet prius ad confessionem, quam ad communionem esse admittendos. Ita ut ad confessionem adstringantur, dum ad usum rationis perveniunt, ad communionem vero non obligentur usque ad annum ætatis circiter decimum; nec ultra duodecimum permittatur eis eam differe.

50. Sed licet communis sententia vene-

ran-

randa sit, nec ab ea omnino discedere velim; tamen veritatem fateado, plus timeo confessionem, quam communionem puerorum. Docent enim me experientiæ repetite, ac simul ratio luculenta, quod puer, capax agnoscendi Majestatem Dei, in quem peccavit, gravitatem, ac fedelitatem peccati, efformandique verum dolorem, etiam est capax discernendi panem cælestem a profano, & consequenter illum devote recipiendi. Nihilominus meum iudicium Parochorum discretionis submitto, cui rem committit cap. *Omnis utriusque sexus.* Vide Bened. XIV. *lib. 76. de Syn. c. 12. n. 1. & 2.*

PUNCTUM V.

De dispositione ad Eucharistiam rite suscipiendam.

51. Inq. 1. Quæ dispositio requiratur in subjecto Eucharistiæ? R. Quod duplex requiritur dispositio: una ex parte animæ, nempe status gratiæ, juxta dicta de ministro consecrationis, quæ respective intelligenda sunt de subjecto Eucharistiæ; quia, tam laicos, quam sacerdotes afficit præceptum de præmittenda confessione post lapsum in lethali. Alia dispositio requiritur ex parte corporis, nempe jejunium naturale, de quo præcipue erit sermo in hoc puncto.

52. Inq. 2. Quid sit jejunium naturale? R. Est *abstinentia ab omni, quod sumi potest per modum cibi, potus, aut medicinæ.* Nec sunt audiendi quidam, asserentes tria requiri ad violandum jejunium naturale. 1. Ut sumatur aliquid cibi, vel potus. 2. Quod cibus, vel potus ab extrinseco ori ingratatur. 3. Ut per actionem vitalem deglutatur. Ita ut, si ab alio mihi invito, quidquam in stomachum trajiciatur, jejunus, & capax Eucharistiæ persisterem. Hæc regula in multis fallit. Nam ex prima positione sequeretur non frangi jejunium naturale per comestionem calcis, carbonis, terræ, palæarum, ceræ, cretæ, fœni, papiri, aut aliarum rerum, quæ non sunt cibus, aut potus, quod est contra communem opinionem. Ex secunda, quod particula anterioris cœnæ, intra dentes remanentes, possent ex professo deglutiri, quod est valde dubium, nec admitten-

dum; est casualiter trajecta, non obstant jejunio, aut Sacramenti sumptioni. Ex tertia denique colligi posset illum, cui relucant panis, aqua, aut vinum in stomachum inferretur, jejunium ad Eucharistiam remanere; quod minime est dicendum. Nam qui, lapsus in flumen, invitus deglutit aquam, aut ille, cui dormienti ingeritur cibus, vel potus in stomachum non est jejunus ad communionem.

53. Igitur ad suscipiendam Eucharistiam requiritur a dimidia nocte præcedenti totalis abstinentia ad omni eo, quod per os transit ad stomachum, sive alterari, aut digeri possit, sive non. Nec hoc præceptum, esto ecclesiasticum, admittit parvitatem materiæ. Sed quia omnis regula generalis, quasdam patitur exceptiones, ita etiam ista. Unde aliqua gutta aquæ, transpirata in stomachum per modum salivæ, dum os abluatur, aut musca casualiter in os ingressa, & media respiratione præter intentionem deglutita, non violat dictum jejunium. Ex dicta vero generali regula præcluduntur plurimæ quæstiones, hinc inde ab Autoribus propugnata. Ut si ex professo degluties nucem integram cum cortice, lapillum, unguens, plumbum, aurum, monetam, aut quid simile, sive digeri possit, sive non, abstinere deberes ab Eucharistia sumenda, quia jam cælestis cibi trajectio in stomachum non esset prima, cum alia præcesserit. Et licet Concina concedat plumbum, aut aurum non obstat; sanior tamen est doctrina data, quam docent PP. Salmantic. *tract. 4. de Euchar. cap. 7. n. 70.*, & conformior menti D. Thomæ dicentis: *Non refert, utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus.* Ita 3. p. q. 80. a. 8. ad 4.

54. Inq. 3. An trajectio salivæ, sanguinis, vel humoris ex capite defluentis, violetur jejunium naturale? R. neg. Quia hæc, & alia ab intrinseco defluentia non trajiciuntur per modum cibi, aut potus, sed per modum salivæ. Secus est tenendum de saccharo, ori nocte præcedenti imposito, ut paulatim liquefactum pectus liniat. Si enim post medium noctis deglutatur, aut de hoc dubitetur, impeditur communionem, quia per inde se habet, ac si tunc sumeretur.

55. Inq.

55. Inq. 4. An sumptio tabaci solvat jejuniū naturale? R. 1. Quod folium tabaci, masticatum ad sputa, & phlegmata abstergenda, illud solvit, quidquid alii opinentur; quia non fortuito, sed ex professo ejus succus in stomachum trajicitur. Ad hoc quippe dentibus conteritur ad irritandas stomachi fibras, ejus succo in illum trajecto. Nec valet dicere non esse aptum ad nutriendum; nam etiam hoc admissio, diximus nuper cum D. Thom. non referre utrum nutriat per se, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus: hoc autem proprie convenit tabaco masticato, seu ejus succo in stomachum trajecto: ergo solvit jejuniū naturale.

56. R. 2. Fumus tabaci, voluntaria trajectione in stomachum transmissum, etiam violare dictum jejuniū propter eandem rationem, eodem modo, ac si quis aliquid sputum deglutiat, & illico illud evomat. Verum si nihil fumi deglutatur, aut fiat præter intentionem, talis deglutio, non illud solvit, quia tunc solum trajicitur respiratione involuntaria, uti de musca, in os ingressa, diximus. Verumtamen periculosus est hujusmodi fumi sumptio circa jejuniū naturale.

57. R. 3. Pulverem tabaci, per nares sumptum, non violare hoc jejuniū: quia nihil sumitur per modum cibi, aut potus; nec pulvis attrahitur, seu naribus applicatur ad trajiciendum illum ad stomachum, sed ad cerebrum: ergo nulla ex parte violat jejuniū ad Eucharistiam requisitum. Monendum tamen est, ne ulla tabaci sumptio in Ecclesia, sive ante, sive post communionem fiat propter reverentiam loci, & tanto Sacramento debitam. Non enim decet tabacum etiam in pulvere, eadem libertate sumere in Ecclesia, ac si esset in platea, quod valde reprehensibile censo. Imo hac de causa arbitror Innoc. X. & XI. fulminasse censuram excommunicationis majoris in omnes, qui intra Vaticanam Basilicam tabacum sumerent: atque sub eadem pœna, idem venisse Urbanum VIII. intra Ecclesias Diocesis Hispanensis, quia nimirum Sacerdotes non verebantur tabacum, etiam in ipso altari sumere, quod adhuc scribere horret. Sublati vero jam causis, sublata etiam est censura respectu Vaticani, & convenit subtrahi a quacumque Synodo, aut Ec-

clesia, nec eam amplius facile imponi, ut prudentissime admonet Episcopos Benedictus XIV. in *Synod. Diac. lib. 11. cap. 13. n. 3.*

58. Inq. 5. A qua hora debeat servari jejuniū pro Eucharistia sumenda? R. Cum D. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. ad 5. dicente: *Ecclesia Romana diem a media nocte incipit, & ideo, si post mediam noctem aliquis sumpsisset aliquid per modum cibi, vel potus, non posset eodem die hoc sumere sacramentum: potest vero, si ante mediam noctem. Nec refert utrum post cibum, vel potum sumptum dormierit, aut digestus sit, quantum ad rationem præcepti.* Dubius an post mediam noctem aliquid sumpserit, nequit Eucharistiam recipere, alias exponitur gravi periculo irreverentiæ sacramenti, & præceptum violandi. Ex qua ratione audiens primum pulsum horologii, indicantis horam mediæ noctis, abstinere debet ab omni cibo, & potu; imo projicere, si quid in ore haberit: nam primus ictus demonstrat horam esse jam completam, quidquid alii sentiant, qui audiendi minime sunt, & minus Caramuel, laxior omnibus in hac parte, parum faventes reverentiæ sacramenti, & plus æquo libertati in re modicæ, vel nullius utilitatis. Quando diversa horologia successive sonant, standum est primo, nisi certo constet de ejus errore: debeatque penitus rejici asserentes nunc uni, nunc alteri se posse conformare.

59. Inq. 6. An post sumptionem Eucharistiæ servari debeat abstinencia a cibo per aliquod tempus. R. Quod licet olim juxta sacros canones sic fuerit statutum: nunc vero nullum extat præceptum ad id obligans. Ob reverentiam tamen hujus sacramenti maxime decet abstinere a cibo, & potu, excepta aqua ablutionis; donec species consummantur, quod citius in valido, quam in stomacho debili accidit. Regulariter transacto quadranti, potest quidquam sumi, absque irreverentiæ sacramenti. Pariter decet non sputare statim post sumptam Eucharistiam, maxime dum sputum ex pectore profuit. Si autem id necessitas postulet, sputatur in loco mundo, & ubi facile conculcari non possit.

PUNCTUM VI.

Alia dubia circa Eucharistiæ sumptionem.

60. Inq. 1. An aliquando possit Eucharistia sumi a non jejunio? R. Plures dari casus, in quibus licite recipi valet. *Primus* est articulus mortis, in quo, sive proveniat a morbo, vulnere, sive a sententia Judicis potest quis sumere Eucharistiam non jejunus, si jejunus commode non valeat: si enim commode possit, jejunus debet eam suscipere, etiam ægrotus. In morbo autem periculoso non est differenda communio ob scrupulum jejunii: nam infirmi ex consuetudine Ecclesiæ absolute excipiuntur in Concil. Constantinop. *Can. 13.* imo durante eodem morbo, potest sæpius dari Eucharistia non jejunio per modum viatici. Debent tamen aliquot dies, ut sex, aut octo, plus, minusve, juxta devotionem infirmi, consuetudinem loci, & arbitrium prudentis Parochi interfuturi ab una, ad aliam communionem. Intellige semper de viatico, nam aliter nequit recipi a non jejunio, etiam infirmo, adhuc tempore Paschali; nec præceptum annuale obligat impotentem recipere Eucharistiam in jejuniū naturali. Sacerdos non jejunus nequit celebrare ad communicandum infirmum, alias absque viatico moriturum: quia præceptum divinum non obligat, quando reverenter impleri non valet, & defectus Viatici suppleri potest per votum efficacius suscipiendi Sacramentum. Ita plures cum S. Antonino, Sylvestro, & Soto, quidquid relictur Concina, qui tandem se submittit doctorum opinionum.

61. *Secundus* casus, in quo licet sumi Eucharistia a non jejunio, est quando alias incidendo esset absumenda, vel in manus infidelium perventura. Tunc quippe a Sacerdote, vel in ejus defectu a quolibet clerico, vel etiam laico non jejunio reverenter sumi deberet. *Tertius* est cum aliter grave scandalum sequeretur, ut si Sacerdos, incepta Missa, recordaretur se non esse jejunum: quo in casu debet desistere a Missa, si non consecravit. Si autem populus, etiam causa manifestata, non acquiescit, sed Sacerdos timet grave scan-

Tom. II.

dalum sequendum, vel sibi aliquid notabile damnum vere obvieniendum, potest Missam perficere; quia leges positivæ tam severe non obligant. Hac eadem ratione si quis minaretur mortem Sacerdoti non jejunio, si non celebrat, potest celebrare, dummodo celebratio non exigatur in contemptum Ecclesiæ, aut ejus præceptorum, sed ad Missam audiendam, vel ad alium finem sibi confictum.

62. *Quartus* casus: si Sacerdoti non jejunio necessitas incumbat, perficiendi Sacrificii: vel quia loco vini posuit aquam; quo in altari cognito, debet denuo consecrari, & sumere, omittere vero, si conclusa jam Missa, in sacristia advertat. Vel quia post panis consecrationem recordatur se non esse jejunum, quo in casu debet prosequi Missam; vel quia post consecrationem Sacerdos moritur; tunc enim debet alius non jejunus, in defectu jejunii, Sacrificium perficere.

63. *Quintus* casus est, dum Eucharistia simul cum vino non consecrato sumitur, ut accidit in die Parasceves, & semper ac Sacerdos simul cum ablutione haurit quidquam vini consecrati. Item dum post sumptionem calicis particula hæret, potest, & debet, semel, & iterum, vino imposito, decentius, quam digito, attrahi. Pariter cum hostia palato hæret, potest semel, aut bis ablutio sumi, quia in his casibus non censetur violatio jejunii moraliter communionem processisse. Quod a fortiori in casu, quo ægrotus ob nimiam siccitatem non possit particulam solam deglutire, concedendum est.

64. *Sextus* casus est, quando, post sumptam ablutionem, reperit Sacerdos in ipso altari, vel etiam in sacristia, ante quam se exuat, aliquas reliquias, vel fragmenta hostiæ, a se consecratæ, debet enim illa sumere, quia pertinent ad idem sacrificium. Secus est dicendum de particulis ab alio consecratis, non enim sunt pars ejusdem sacrificii. Neque si formula integra reperiretur; debet quippe, esto sit ab eodem consecrata, si commode possit, in sacrario reverenter apponi, si nequeat sumi ab alio Sacerdote jejunio. Vid. *Rubric. Missalis.* Quid in hac materia accidat in capella Papæ nocte nativitatis Domini. Audiamus Bened. XIV. in Bulla quæ incipit: *Quadam de more*, data Romæ 24

F

Mar-

Martii 1756: Perspectum denique est quid quotannis fiat Romae in Pontificio Sacello nocte Nativitatis Domini; in eodem quippe celebratur Missa ante mediam noctem, nec semper ab eo, qui praecedenti die ab omni cibo abstinerit. Scripsere nonnulli singulis annis concedi a Pontifice dispensationis litteras in forma Brevis; at id a veritate aberrat. Verum cum Pontifici perspektum sit, quae hora celebraretur Missa, innotescat quoque haud semper esse jejunium, qui sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur, nec quidquam statuatur, remque ita transigi sinat, locus fit tacitae quidam dispensationi, quae tutam efficit conscientiam ejus, qui ea nocte Missam celebrat non jejunus.

65. Inq. 2. An Sacerdos, qui statuit canere primam Missam, ad quam plures cognati, & cogniti sunt invitati, conviviumque paratum, possit illam celebrare, si occurrat, & incogitanter violavit jejunium naturale? R. neg. Quia nec displicentia concurrentium, nec convivia parata sunt causa sufficiens honestandi dictam celebrationem: nec praefrenda dicti dignitati, ac reverentiae Sacramenti, aut praeecepto adeo justo, illud recipi a non jejunio prohibenti. Si autem praeter memorata inconvenientia, alia majora, seu scandala prudenter timerentur, idem quod in tertio casu, supradicto, esset dicendum.

PUNCTUM VII.

De effectibus Eucharistiae.

66. Inq. 1. Quis sit effectus Eucharistiae? R. Eucharistiam esse fontem omnium gratiarum, ac continere Auctorem omnium donorum, & Sacramentorum; ideoque causare plures, ac mirabiles effectus, tum circa animam, tum circa corpus. *Primus*, & praecipuus ejus effectus est *gratia cibativa*, quia sumpta per modum cibi, & potus, causat secundam gratiam, vel augmentum gratiae, reficiendo, & nutriendo spiritualiter animam. Hunc autem effectum causat Eucharistia, non cum ore sumitur, aut ibi tenetur, sed dum deglutitur; tunc enim verificatur manducari, aut bibi. Unde si quis, sumpta in ore Eucharistia, ante deglutionem obeat, non reci-

pit ejus effectum.

67. *Secundus* effectus est remissio venialium, quorum recipiens non habet complacentiam. Nam esto venialia non remittantur extra Sacramentum absque eorum detestatione: bene vero virtute Sacramenti; vel quia hoc habet ex se; vel quia velle suscipere Eucharistiam, ejusque effectum, est velle augere caritatem, intimiusque Deo uniri, ac consequenter est detestare saltem virtualiter venialia.

68. *Tertius* effectus est praeservare a mortalibus: quod Eucharistia confert, medio auxilio actuali, excitando devotionem, augendo caritatem, & tribuendo animae novas vires, ad superandas inimicorum insidias, & tentationes, juxta illud *Psalm.* 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* *Quartus* effectus mediatu est remissio poenae temporalis, pro peccatis debita; quem causat mediate, ratione actuum ferventiorum caritatis, ad quos excitatur suscipiens per auxilium, virtute Eucharistiae collatum.

69. *Quintus* effectus est actualis dulcedo, suavitas, & delectatio, quae cum aliis miris deliciis degustant, devote Eucharistiam recipientes. Est enim animabus, ab lactatis a mundi oblectamentis, suavissimum hoc Sacramentum, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur. Nam *pinguis est panis Christi, & praebet delicias Regibus*: hoc est suas appetitiones, & cupiditates bene regentibus. *Sextus* effectus est specialis unio cum Christo, juxta illud Joann. 6. *In me manet, & ego in eo.* *Septimus* effectus est adeptio gloriae; ut patet ex Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

70. Hos, & alios mirabiles effectus causat Eucharistia circa animas, illam digne, & reverenter suscipientes. Ultra eos operatur etiam alios circa corpus, nempe latitudinem cordis, modestiam vultus, diminutionem fomitis, & ardoris concupiscentiae, illuminationem sensuum interiorum, quandoque etiam corporis sanitatem, ut experiebatur Sancta Mater Theresia, conjunctionem peculiarem cum corpore Christi, quandam sanctificationem corporum nostrorum ex contactu tanti Sacramenti, ac denique peculiarem gloriam corporis, qua fulgebunt in Patria, recipientes Eucharistiam, ac carnis resurrectionem, specialiter

ter promissam eam devote sumentibus, Joann. 6. *Qui manducat... ego resuscitabo eum in novissimo die.*

71. Inq. 2. An peccata venialia impediant aliquos Eucharistiae effectus? R. Peccata venialia praeterita, si alias quis devotus accedat, nullum Eucharistiae effectum impedire, quia ex una parte adest gratiae status, qui sufficit ad primum Eucharistiae effectum; nempe augmentum gratiae; & ex alia datur actualis devotio, qua alii effectus percipiuntur, ab eam sumente. Peccata autem venialia actualia, licet non impediant primarium ejus effectum, impediunt secundarium, nimirum suavitatem, & dulcedinem illius, qua privantur, accedentes sine actuali devotione, aut cum voluntaria mentis distractione. Imo, si haec ex industria eligatur, gravem mortiferamque irreverentiam importare potest. Unde licet devotio actualis necessaria non sit ad principalem effectum Eucharistiae, ut patet in infantibus, quibus absque ulla devotione augmentum gratiae olim imperitisse non ambigitur; curare tamen omnes debemus devote, ac reverenter ad tantum accedere Sacramentum, ut plenarium ejus effectum percipere mereamur. Vid. D. Th. 3. p. 4. 79. a. 8.

72. Inq. 3. An copula conjugalitatis impediat ad communionem accedere. R. Esse valde decens abstinere a sacra communionem post coitum conjugalem, etiam nocte praecedenti habitum. Verum si habeatur ad reddendum debitum, vel causa prolis procreandae, potest conjux sine ulla culpa, etiam in ipso die communicare. At conjuges habentes copulam causa libidinis explendae, etiam nocte praecedenti sub veniali debent a communionem abstinere, nisi aliqua causa peculiaris festivitatis, aut specialis devotionis excuset. Conjux non eximitur a redditione debiti ob communionem, etiam ipso die suscipiendam, quia ex justitia ad id tenetur. Denique conjugatus suo judicio est relinquendus, ut dum ex causa honesta peti debitum communicet, aut absteinet, ut cum D. Gregor. docet Angelicus loc. cit. q. 80. a. 7. ad 2. & in suppl. q. 64. ar. 1. ad 1. Unde non est audiendus Concina, qui hanc D. Th. doctrinam tamquam a sacris canonibus alienam indigitat. *lib. 2. de Matr. diss. 4. c. 8. n. 14.*

73. Inq. 4. An pollutio impediat communionem? Tripliciter posse contingere. Primo cum peccato gravi, ut dum est plene voluntaria. Secundo cum solo veniali, ut dum semiplene fuit voluntaria. Tertio sine culpa, ut quando cui invito accidit. In primo casu impedit abs dubio communionem, sicut quodlibet peccatum lethale: imo plus alio peccato gravi, quia scditas, & impuritas pollutionis, aut luxuriae, plusquam peccata alterius materiae, opponitur, ceteris paribus, munditiae hujus purissimi Sacramenti. Unde etiam expiata ejus macula media confessione, peccatum veniale est eodem die ad communionem accedere, nisi ex justa causa excusetur: maxime si turpem recollectionem, carnis commotionem, aut mentis perturbationem relinquat.

74. In secundo casu, quando nimirum pollutio contingit cum solo veniali, si mens magnam evagationem non patiatur, vel esto patiatur, in ea repellenda quis negligens non sit, potest communicare. Consultius tamen erit confiteri eam culpam, esto venialem, ut sic macula prorsus abstergetur, ad recipiendum corpus purissimum, ex purissima Virgine natum. In tertio casu non impedit communionem, sive in somno, sive in vigilia accidat; nisi magnam mentis evagationem, aut hominem tepidum, pigrumque ad res divinas relinquat. Tunc enim decentius erit abstinere a communionem, nisi adsit aliqua causa, eam suscipiendi. Ceterum si pollutio nullum hujusmodi effectum relinquat, & potest homo devote accedere, ac si nihil esset passus, valet Eucharistiam recipere, sicut dicitur de illo Monacho, cui a Demone pollutio excitabatur diebus festis, ad privandum eum gratia communionis. Hanc eandem doctrinam, quam tradit Angelicus ubi supra, rescripsit S. Theresia suo Fratri, nempe quod has illusiones contemneret, & sacramentum communionem non desineret. *Epist. 33. num. 4. tom. 1.*

75. Quando fluxus sanguinis est diuturnus, non est privandum patiens a communionem. Si autem brevi cessabit, decentius erit abstinere. Idem est de foemina tempore menstrui, quae non ex praeecepto, sed ex consilio differre eam debet, nisi aliqua adsit causa, aliter se gerendi, qua median-

te, parum est curandum de his miseriis naturalibus, quoties conscientia pura, verus amor, ac fervens devotio ad Eucharistiam accedere suadeant. Quoniam sicut cuidam moniali sociæ, & cognatæ S. Theresiæ, circa hoc dubitanti, Dominus benigne apparens, respondit: *Deus non odit, nec horret naturam, sed culpam.* Quod præcipue verum est tempore gratiæ, in quo legalia vetera cessaverunt.

76. Inq. 5. Quo ornatu corporis debeant fideles ad Eucharistiam accedere? R. Quod præter vestem nuptialem interioriorem, sine qua nullus ad hoc sacrum, & mirabile convivium ingredi debet, oportet, ut, qui huic coelesti mensæ assidere cupiunt, etiam exteriori ornatu honesto, nitido, ac decenti, juxta cujuscumque statum, ac conditionem accedant. Non respuit pauperes, dummodo non sordidi, sed mundi lotisque faciæ, & manibus perveniant. Non enim horret pauperiem, sed immunditiam. Unde nec Sacerdotes læpra, aut alio fœtore inquinati celebrare, saltem in publico, debent. Mulieres, si quæ fucatæ, crispatæ, vel nudato pectore, aut vestibus vanis, luxum, fastum, aut pompam præferant, arcendæ sunt a sacra communione: ad hanc enim omnes accedere debent tali ornatu, ut in vultu, gestu, ac in vestitu munditiam, honestatem, decentiam, modestiam, & reverentiam redoleant. Sic etiam pauperes, & servos invitat Dominus. *O res mirabilis! manducat Dominum pauper, servus, & humilis.*

PUNCTUM VIII.

Alia dubia circa effectus Eucharistiæ.

77. Inq. 1. An, si recipiens successive plures particulas, sumpta prima in lethali, ad reliquas elicit actum contritionis, suscipiat effectum gratiæ Sacramentalis? R. Affirm. quia cum dispositus recipiat Sacramentum, non adest ratio evincens oppositum: nec indispositio anterior inficit dispositionem sequentem. Eadem ratio si quis ad primam particulam erat dispositus remitte, ad sequentes autem intense, recipit gratiam juxta gradum dispositionis. Hoc non est dicere consciunt peccati gravis posse licite expectare pro

elicenda contritione ad ipsum tempus, quo Eucharistiam sumpturus est, vel jam ore suscepit; hoc quippe a nemine adstruitur, sed dicimus, quod, si casus ita eveniat, & actus contritionis vere eliciatur, suscipit gratiam Sacramenti, quia reipsa dispositus recipit Sacramentum. Probare antea se debet utique homo, ut de pane illo edat, & de calice bibat, quod nullus ignorat: cæterum dato casu, quod immediate ante, vel in ipsa sumptione recipiens hostiam justificetur, non est, cur privetur gratia Sacramenti; quidquid oppositum, quia probet, dicat quidam junior.

78. Inq. 2. An Eucharistia causet gratiam toto tempore, quo durant species in stomacho? R. Non causare ex opere operato, causare vero ex opere operantis. Ratio secundi est, quia Eucharistia solum causat gratiam ex opere operato, dum editur, seu traicitur in stomachum, quod verificatur non tempore, quo in stomacho perseverat, sed quo actualiter deglutitur. Ratio secundi est, quia Eucharistia est veluti fons, ex quo continui rivuli, imo flumina gratiarum defluunt, & eo copiosius hauriuntur, quo proximius habentur: ergo, quamdiu species durant in stomacho, causant gratiam, saltem ex opere operantis, dummodo quis magis, ac magis denuo se disponat. Unde post acceptam Eucharistiam, debet homo solus cum solo devote, ac reverenter agere, evacuare vasa cordis, ut dulcedine panis coelestis, melioris manna, repleantur, respere carnes, cæpas, & alia ægyptiaca, ut oblectamentis cælestibus perfruatur: Repletus libamine corporis, & sanguinis Domini, purgare anime palatum, ut mel dulcissimum de vera petra sugere valeat; & hoc divino medullatorum saginatus convivio, vanas mundi delicias conculcare discat, in cælestiumque amorem abreptus, solum Deum querere, diligere, ac ejus mandata studiose observare proponat.

79. Inq. 3. An Eucharistia, sumpta sub utraque specie, majorem, quam sub una tantum, gratiam conferat? R. quod licet omnes fateantur probabilitatem utriusque sententiæ tam negativæ, quam affirmativæ; hæc tamen probabilior apparet, mihique magis arridet: quia licet Eucharistia in qualibet specie sit verum Sacramen-

tum,

tum, non tamen integrum; quia integrum Eucharistia Sacramento constat speciebus diversæ rationis, nempe cibi, & potus: erg. licet conferat gratiam, non tamen integram, correspondentem integræ refectiōni. Unde recipiens unam tantum speciem, nulla utrius fraudatur gratia ad salutem necessaria, ut dicit Concil. Trid. quia sub qualibet specie hanc tribuit gratiam. Cæterum recipiens utramque speciem, recipit gratiam respondentem integræ convivio, integræ refectiōni, integro Sacramento. Quare Franciscus Blanco, qui, ut Episcopus Auriensis, Tridentino interfuit, & subinde Archiepiscopus Compostellæ fuit electus, teste Lugone, assertiit hanc fuisse unanimem Patrum sententiam, sed noluisse extra tempus definire, ne daretur hereticis occasio vociferandi.

80. Favet huic sententiæ Clemens VI. qui, concedens Regi Galliæ communicare sub utraque specie, addit in sua Bulla, hoc ei concedere ad majoris gratiæ augmentum. Nec valet dicere hoc verificari posse ex opere operantis, quia cum species sanguinis æque sint Sacramentum partiale, ac species panis, non est, cur denegetur illis proprius earum effectus. Quare ad intentum egregie ex D. Thom. canit Ecclesia: *Quibus sub bina specie carnem dedit, & sanguinem, ut duplicis substantiæ totum cibaret hominem.* Arbitrarium etiam videtur asserere, in sumente utramque speciem, totam gratiam causare per sumptionem calicis, ut quidam ajunt; e contra aliis sentientibus, non conferri gratiam usque ad sumptionem calicis, quod divinare absque solido fundamento mihi semper visum fuit. Nam Deum ita disponere potuisse, quis ambigit? Verum ita disposuisse quis scit?

81. Dices: erg. Ecclesia, subtrahens laicis usum calicis, eos gratia Sacramenti privavit. R. Ecclesiam prudētissime sæculo decimo laicis subtraxisse calicis usum; præstat enim laicos privari aliqua gratia ad salutem non necessariam, quam sanguinem sacrosanctum exponere gravi periculo effusionis. Ob quam, & alias rationes, merito etiam subtraxit Eucharistiam infantibus, esto ejus gratia priventur, quin ex hoc aliquid inconveniens sequatur.

82. Inq. 4. An possit aliquis ita accedere ad Eucharistiam, ut neque gratiam recipiat, nec peccatum committat? R. affirm.

quia potest quis facta prudenti diligentia in examine conscientiæ putans bona fide se esse in gratia, accedere cum lethali, de quo, naturaliter oblitto, non dolet neque in particulari, nec in communi: quo in casu nec gratiam recipit, nec peccat. Casus est metaphysicus, quia regulariter, vel rite cum dolore, vel male dispositum accedit subjectum: sed data hypothesi, nec peccaret, nec gratiam reciperet, ut si daretur amenti existenti in lethali. Propterea ad hujusmodi dispendium vitandum oportet, ut quisque ante celebrationem, aut communionem aclus doloris, saltem in communi, eliciat; nam accedens in simili casu cum dolore, esto non perfectio, gratiam recipiet, ut tradit D. Thom. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. & q. 79. art. 3. & q. 80. art. 4. ad 5.

83. Inq. 5. An communio sacra prosit soli sumenti, vel etiam aliis? R. Quod Eucharistia, ut Sacramentum, soli prodest sumenti ex opere operato: quia, prout Sacramentum, se habet ut cibus & potus, qui solum sumenti proficiunt, eumque tantum nutriunt. Ceterum communio ex opere operantis prodesse valet aliis, pro quibus illam sumens velit applicare, tamquam opus impetratorium, & satisfactorium. Quare laudabilis est pius affectus quorundam communicandi pro animabus Purgatorii, & applicandi sacram communionem pro earum suffragio, & levamine, & opposita sententiæ, improbandam hunc piæ morem communicandi pro defunctis, merito proscripserunt a Sacr. Congreg. sub Alexandro VIII.

PUNCTUM IX.

De necessitate, & obligatione sumendi Eucharistiam.

84. Inq. 1. An Eucharistia sit necessaria ad salutem necessitate mediæ, vel potius necessitate præcepti? R. Eucharistiam, in re susceptam, non esse necessariam ad salutem, ut patet in parvulis, qui medio Baptismo absque reali Eucharistiæ sumptione salutem consequuntur, & ex Trident. sess. 21. can. 4. R. 2. Eucharistiam in voto, non formali, & explicito, sed virtuali, & implicito esse necessariam necessitate mediæ ad salutem, in quantum ad ejus mysticam, & spiritualem recep-

tio-

tionem; quia Baptismus, & reliqua Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, tamquam ad finem eorum: ergo idem est accipere Baptismus, ac habere votum implicitum recipiendi, saltem spiritualiter, Eucharistiam, tanquam finem, & consumationem Sacramentorum. Ne cogites parvulos esse voti incapaces, ideoque hanc doctrinam non posse sustineri, nam qui in parvulis supplet intentionem ad Baptismum, supplet etiam votum virtuale, & implicitum ad Eucharistiam.

85. R. 3. Eucharistiam esse pariter necessariam necessitate præcepti divini, & ecclesiastici. Quo ad præceptum divinum constat ex Joan. 3. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quoad ecclesiasticum patet ex cap. *Omnis utriusque sexus.* In tract. de præceptis Ecclesie agimus de ecclesiastico præcepto, ideo solum de divino erit præsens sermo.

86. Inq. 2. An præceptum divinum sumendi Eucharistiam solum obliget baptizatos? R. affirm., quia, ut bene inquit Soto, licet præceptum suscipiendi fidem Catholicam omnes infideles obliget; obligatio tamen recipiendi diversa Sacramenta non exurgit, nisi ex professione fidei, quæ fit in Baptismo: sicut habens votum simplex religionis, non tenetur ad peculiaris ejus instituta ante professionem: ergo, similiter nullus infidelis ante Baptismum tenetur ad Eucharistiam suscipiendam. Unde Cathecumenus voluntarie omitteus in articulo mortis Baptismum, non committit duo peccata, sed unum tantum omissionis Baptismi, non vero omissionis Eucharistiae. Hanc sententiam, ut veriolem, ac communiolem docent N. Salmant. Scholast. cum Soto, Nugno, Serra, Candido, Prado, & Gonet, quidquid contra suos domesticos, & Magistros sentiat Concina, lib. 3. de Euchar. diss. 1. cap. 9. num. 11.

87. Objic. Præceptum, supra expositum Joan. 2. est generale; ergo omnes adultos etiam infideles obligat. R. neg. conseq. quia debet intelligi per distributionem accomodam. Infidelis autem, prout talis, non est capax sumendi Eucharistiam, & consequenter neque obligationis ad illam, quia non est sub lege.

88. Inq. 3. Quo tempore obliget præ-

ceptum divinum sumendi Eucharistiam? R. obligare potissimum in articulo mortis: quia tunc præcipue est homini necessaria Eucharistia; tum ad reficiendas vires animæ; tum ad hostem vincendum; tum ad conjunctionem cum Christo, quæ conjunctio est finis potissimum ejusdem Eucharistiae, divinitus præcepti. Obligat etiam semel in anno ex determinatione Ecclesiae; & aliquoties in vita, maxime dum homo se sentit debilem in vita spirituali, agnoscens non posse perseverare in gratia absque isto celesti pabulo. Qui in articulo mortis cum causa, aut sine illa non implevit hoc divinum præceptum, non tenetur ei postea satisfacere, quia est pro tempore determinato, & velut ad diem finiendam. Qui post acceptum devote viaticum, in eadem infirmitate incidit in lethale, non adstringitur illud iterare, quia vere adimplevit præceptum. * Considera, pie lector, in hoc præcepto bonitatem Christi Domini, & ingratitudinem hominis. Christus non solum allicit, sed præcipit recipi ab homine, reluctatur homo Christum recipere, adeo, ut opus sit præcepto divino, ad eum compellendum, ut Christum recipiat. Sed adhuc majori dolore dignum est, quod plures, neglecto hoc suavissimo præcepto, renuant suscipere proprium Dominum. Pejores sunt isti Judæis, de quibus dicitur Joan. 1. in propria venit, & sui eum non receperunt. Faxit Deus, ut nemo adeo ingratus reperiatur!

PUNCTUM X.

Alia dubia circa præceptum divinum sumendi Eucharistiam.

89. Inq. 1. An qui tribus, sex, aut octo diebus ante mortis articulum Eucharistiam sumpsit, teneatur, adveniente dicto articulo, eam iterum sumere? R. Quod licet sententia negativa sit valde probabilis, ratione tamen validiori potitur affirmativa. Tum quia per opus factum quando non obligat præceptum, non impletur, sicut per Missam hodie auditam non satisfit præcepto diei festi crastini; sed præceptum communicandi in mortis articulo non obligat ante illum, maxime sex, aut octo diebus, quæ nimia anticipatio est: ergo. Tum quia sumptio Eucharistiae præcipitur in dicto periculo, ad strenue pugnan-

dum

dum cum hostibus in illa ultima lucta; cui finis non fit satis per communionem extra periculum, præcipue octo diebus antea receptam. Quoniam ad præceptum adimplendum requiritur apponi rem præceptam tempore, quo præcipitur, vel saltem proxime ad illud; præcipue circa hoc præceptum, impositum determinate pro illo peculiari articulo: ergo per communionem per aliquot dies antea receptam, non adimpletur.

90. Inq. 2. An qui mane sanus celebravit, vel communicavit, & vespere ex morbo, aut vulnere incidit in periculum mortis, ita ut judicio medicorum nequeat vivere usque in crastinum, aut de hoc prudenter timet, possit, & debeat eadem die ex præcepto divino sumere viaticum? R. quod circa hanc controversiam triplex militat sententia. Prima affirmat posse, & debere. Secunda negat debere, & posse. Tertia assertit posse, sed non debere. Quælibet ex his sententiis est adeo probabilis, ut valeat sine piaculo in praxim deduci. Unde, cum casus contingat, *integrum erit Parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit*, ait Bened. XIV. loco infra citat. Nobis autem magis arridet tertia, tum propter communionis præcedentis distantiam adeo modicam, ut moraliter pro nulla habeatur: ergo per illam fuit satisfactum divino præcepto. Tum etiam quia sacra communio præstat vires spirituales validas, ad repellendas inimici insidias, præcipue pro eodem die, & conjungit animam cum Christo. Ex alia parte certa omnino non est adimpletio dicti præcepti: ergo, si velit illud securius adimplere, potest. Nec prohibitio communicandi bis in die comprehendit hunc casum; sed quando voluntarie, & absque causa fieri vellet.

91. Inq. 3. An Judex teneatur concedere reo tempus, ut valeat in articulo mortis Eucharistiam sumere. R. affirm. Quia oppositum est alienum ab Ecclesie pietate. Si autem reus tempore præscripto noluerit, tunc poterit Judex ulterius procedere: alias daretur occasio reis a morte se eripiendi, vel eam differendi, publicam potestatem eludendo. Ecclesia potest ob criminum atrocitatem, & ad terrorem aliorum aliquos privare non solum a communione, utcumque, ut facit per censu-

ras, sed etiam a viatico, ut olim fecere quædam Ecclesie particulares, & statueret aliqua Concilia Provincialia, verum mos iste penitus obsolevit, & merito prævalere contrarius tamquam caritati Christianæ magis conformis, ut cum S. Pio V. optime sentit, Bened. XIV. in Syn. lib. 7. cap. 11. n. 3. Inq. 4. An communicatio sub utraque specie obliget ex jure, aut præcepto divino? R. neg. constat tamquam de fide ex Trident. sessi. 21. can. 1. ubi oppositum asserentes anatematizati. Nam, ut supra diximus, ob periculum effusionis immaculati sanguinis Domini, & alia inconvenientia subtrahit Ecclesia, lumine Spiritus Sancti directæ, laeas ejusdem sanguinis participationem, esto ob pacis amorem Boemii induiserit facultatem communicandi sub utraque, dummodo crederent hanc communionem ex præcepto divino minime obligare. Et licet in verbis supra relatis ex Joan. 3. eodem modo videatur præcipi essus carnis, ac potus sanguinis filii hominis, nihil officit; tum quia sumens carnem, vere sumit etiam sanguinem, cum in qualibet seorsim specie sit totus Christus. Tum quia *ly &*, ibi positum, est idem, ac *vel*, ut sæpe in scriptura reperitur, ut patet Exod. 21. ubi dicitur: *qui percussit patrem, & matrem moriatur*, ubi particula *&* est disjunctiva, ut *vel*; alias percussiens solum patrem, morte non puniretur. Idem constat ex 1. ad Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indigne &c.* ubi *&* necessarie sumitur pro *vel*, ut ex se liquet.

93. Inq. 5. Quid sit communio laica, peregrina, præsanctificatorum, & mortuorum? R. Communiolem laicam; omissis aliorum placitis, illam olim dictam fuisse, qua laici, & etiam clerici, ab omni exercitio clericali privati, extra locum Presbyterii communicabant. Clericalem e contra, quæ fiebat a clericis intra ipsum Presbyterium. Peregrina illa dicitur fuisse, quam conferebant clericis, qui absque Episcoporum licentia peregrinabantur. Vel juxta alios vocabatur peregrina, quia dabatur clericis a sua Ecclesia ejectis, qui habebantur, ut peregrini, & communicabant cum laicis extra Presbyterium. Communio Præsanctificatorum illam dicebant, quæ dabatur ex pane consecrato die antecedenti, vel quibusdam diebus ante

ante porrectionem, ut nunc accidit in die Parasceves, vel quando ex particulis in sacratio reconditis Eucharistia ministratur. Tandem communicatio *mortuorum* appellatur illa, pro qua in ore proxime morituri imponebatur Eucharistia, quam antea infirmus postulaverat, sed non acceperat. Nota tamen, quod, si eam non deglutit, ejus gratiam non recipit. Hic est casus, in quo quis potest digne accipere Eucharistiam, quin recipiat ejus gratiam. Aliud esset, si post deglutitionem statim evomeret, quia in hoc casu jam verificatur, quod manducavit, non tamen in altero: quidquid dicit Thom. Hurtad. tom. 2. de resid. resolut. mor. resolut. 8. n. 26. §. 27.

PUNCTUM XI.

De communione quotidiana.

94. Inq. 1. An detur præceptum divinum, de communione quotidiana? R. negat: constat ex decreto Sac. Congreg. edito 12. Februar. 1679. sub Innoc. XI. Igitur communio quotidiana, nec universaliter improbanda, sed juxta circumstantias personarum, fervoris, preparationis, & progressus in virtute a respectivis superioribus, & Confessariis concedenda, aut deneganda. Ad hanc regulam statuendam dirigitur totius decreti scopus. Addit etiam quinque alias. 1. Quod redarguantur ab Episcopis, Parochis, & Confessariis asserentes communionem quotidianam esse de jure divino. 2. Quod nullus, nisi ob infirmitatem, recipiat Eucharistiam in lecto, aut domi, nisi in Oratoriis ex privilegio Pontificis, nec in crumena, aut occulte deferatur. 3. Quod non recipiatur in die Parasceves. 4. Quod nemini dentur plures formæ, seu particule, nec grandiores consuetis. 5. Quod Episcopi non permittant confessionem venialium fieri simpliciter Sacerdoti non approbato ab Episcopo, vel Ordinario. Videt Benedic. XIV. in Synod. lib. 7. cap. 12. a num. 6.

95. Inq. 2. Quid sit dicendum de Sacerdotibus circa quotidianam celebrationem? R. 1. Quod Sacerdotes peculiari lege ad eam adstricti, debent quotidie celebrare, seclusa causa justa; tenentur quippe legi obedire. Sed cum debita pu-

ritate, ac devotione, ut jubet nostra const. 1. p. cap. 4. n. 7. De Sacerdotibus more laicorum communicantibus idem est dicendum ac num. præc. de laicis, licet illis facilius, quam laicis concedi possit communicatio quotidiana.

96. R. 2. Quod, absolute loquendo, consultius est Sacerdotes existentes in gratia quotidie celebrare; nisi aliquando ob majorem Sacramenti reverentiam, & ut ferventiori virtutis studio se præparent, interrumpi celebrationem expedit. Nam Sacerdos non agit solum de sua privata utilitate in celebrando, sicut laicus in communicando, sed est persona publica, celebrat nomine Christi, & pro tota Ecclesia. Unde tepidi, aut languidi Sacerdotes, ob pigritiam sacrificium omittentes, quoad ipsos attinet, privant Trinitatem gloria, & laude, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia, animas, in purgatorio existentes, refrigerio, & semetipsos medicina, ac remedio. Ita cum aliis S. Bonaventura tract. de præpar. ad Miss. cap. 5.

97. Quæ intelligenda sunt in suppositione, quod sint in gratia, ne contingat, quod mihi accidit cum quodam Sacerdote, qui pluribus annis celebrabat quotidie, sibi conscius de lethaliibus, & quæsitus, cur saltem illo die, in quo mihi suam conscientiam aperiebat confessione vespertina, non se abstinuit a celebrando? Respondit confidenter: *Ne privarem Ecclesiam tot bonis, & animas purgatorii tanto refrigerio.* Dolui summpere ignorantiam adeo crassam, & adhuc doleo, & cupidus ne alter similis illi miserabili eadem laboret, hæc scribo, omnibus dicens: *Non sunt facienda mala, unde eveniant bona.* Esto quis suo opere totum evacuet purgatorium, imo, & infernum, deberet illud omittere, si absque culpa etiam veniali illud facere non posset, quanto magis sacrificium in lethali, quod est horrendum sacrilegium tradendi, & crucifigendi iterum filium Dei.

98. Inq. 3. An frequens communicatio, & confessio sit signum prædestinationis? R. Supponendo dari aliqua signa, non certa, sed conjecturalia prædestinationis, ut dilectio inimicorum, gustus in audiendo verbum Dei, humilitas, patientia, fervens devotio erga Beatissimam Virginem, & alia,

alia, intra quæ merito numerari valet frequens communicatio, & confessio; sed illa, quæ bene, & devotè fit, nam opera non sunt laudabilia, quia fiunt, sed quia bene fiunt; si enim bonum male feceris, jam non opus bonum, sed malum facis. Unde jure damnavit Innoc. XI. seq. pro. quæ est 56. *frequens confessio, & communicatio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Cujus abominabilis falsitas per se patet, cum in viventibus, non dico gentiliter, sed minus catholice talis frequentia potius sit nota reprobationis; addunt enim sacrilegia sa-

crilegiis. Inq. 4. An sint a communione arceudi, qui nondum condignam de suis delictis penitentiam egerunt, aut amore Dei purissimum non habent? R. neg. constat ex duplici propos. damnata ab Alexandro VIII. ex quibus in ordine 22. sic ajebat: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam præterdunt, antequam condignam de delictis suis penitentiam egerint.* Alia, quæ est 23. dicebat, *similiter arceudi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis experti.*

TRACTATUS VIGESIMUS SEXTUS

DE SACRIFICIO MISSÆ.

NON est nobis sermo de sacrificio, metaphorice actum, quo pacto quælibet opera in Dei cultum relata, ut actus fidei, spei, caritatis, orationis, contritionis, laudis, elemosynæ, jejuniis, & similia sæpe in scriptura nomine sacrificii appellantur. Sed loquimur de sacrosancto Missæ sacrificio, quod religiose veneramur catholici, & sacrilege abominantur hæretici. Quoniam Petrobusiani, Albigenes, Zvingliani, Lutherani, & Calvinistæ, esto quamdam Missam admittunt protestantur in confessione Augustana; captiosa est eorum protestatio, verum enim Missæ sacrificium odio habent. Imo Lutherus maxime in hac materia inconstans modo affirmans, modo negans, denique non erubuit proferre: *Nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Missas celebravit catholicorum more.* Si catholico spiritu, & corde celebrasset, non doluisset misere, nec in æternum doleret. Spiritus hæresis inconstans, & mendax. Imo ideo inconstans, quia mendax. Unde exiit proloquium: *mendacem oportet esse memorem.*

CAPUT. I.

De natura, & effectu sacrificii.

PUNCTUM I.

De sacrificio in communi.

1. Inq. 1. Quid sit sacrificium? R. sacrificium in communi est *oblatio Deo facta in*

signum supremi domini per immutationem alicujus rei ex legitima institutione. Ponitur oblatio loco generis, quia in eo convenit cum oblatione primitiarum, denarii, seu alterius rei, quæ sacrificium non sit. *Facta Deo*: quia soli Deo, non sanctis sacrificium offertur. *In signum supremi domini*: prætestando quod Deus est conditor, conservator, principium, & finis omnium rerum. *Per immutationem alicujus rei*: quia ad sacrificium exigitur præcise, quod res desinat esse, vel immutetur. *Ex legitima institutione*: hoc est a publico, & legitimo ministro, autoritate publica ad offerendum sacrificium deputato: qui non solum in lege nova, sed etiam in veteri erat Sacerdos. Ideo Rex Ozias fuit punitus, quia, cum Sacerdos non esset, ausus fuit sacrificium offerre. 2. Paral. cap. 18.

2. Inq. 2. Quotplex sit sacrificium? R. sacrificium primo ratione originis dividit in sacrificium legis naturæ, scriptæ, & gratiæ. Secundo, in lege veteri fuisse multiplex. Nam differebat ratione *materiæ, formæ, & finis.* Ratione *materiæ*, aliud dicebatur *hostia*, sumpta appellatione ab hostibus devictis, & offerebatur animal post victoriam, a qua etiam *victima* nuncupabatur. Alia sacrificia, in quibus res solida inanimata offerebantur, ut panis, frumentum, sal, thus, vel quid simile, dicebantur *immolationes*. Dum autem oblatio fiebat de materia liquida, ut vinum, oleum,